lis, nobilis germani definitio, & quomodo alias nobiles sexti clypei fuerunt dicti. Th. III. Dividuntur nobiles in mediatos & immediatos, simulque in originem nobilitatis immediatæ inquiritur. Th. IV. Ratio tractatinis recensetur, duæ periodi constituuntur, altera de Foro nobilium immediatorum a tempore interregni, ad Cameræ erectionem, altera ab erecto hoc summo tribunali ad nostra tempora. Ratio expediendi juris in interregno usitata recensetur. Th. V. Ratio expediendi juris nobilium soluto interregno usque ad Cameræ constitutionem recensetur. Th. VI. Initium secundæ periodi. Th. VII. Explicatur, qua ratione nobiles rem suam ordinaverint. Th. VIII. Quæritur, an singuli ordinis Equestris pagi necessario speciale privilegium primæ instantiæ ab Imperatore impetrare debeant. Th. IX. Agit de austregis Legalibus, sive ordinationis, & Th. X. De austregis conventionalibus, quæ nobilibus immediatis competunt. Th. XI. In secunda instantia conveniuntur nobiles immediati in Camera, vel judicio aulico. Limitationes de Foro nobilium in prima & secunda instantia observandæ adjiciuntur. Th. XII. Agit de judiciis provincialibus. Th. XIII. Recensentur casus, in quibus ordinarium nobilium Forum cessat.

SECT. II.

De prorogatione Jurisdictionis alterius nobilium Imperii immediatorum.

Th. I. Agit de nomine prorogationis. Th. II. De Definitione & differentiis. Th. III. Divisio traditur. Th. IV. Requisita prorogationis exponuntur. Th. V. Agitur de usu hodierno prorogationis in genere. Th. VI. Quæritur, an nobiles prorogare possint. Th. VII. Denegatur ipsis prorogandi facultas, ratio ptima redditur. Th. VIII. Ratio 2. & 3. profertur. Th. IX. Dissentientium opiniones recensentur, & refutantur.

XIX.

DISSERTATIO DE ORGIINE LIBERTATIS LIBERARUM ET IMPERII CIVITATUM.

PRO LICENTIA defensa à

JOHANNE PHILIPPO HOFFMANN, Wormatiensi.

Heidelbergæ, 1719.

PROOEMIUM.

Libertas inæstimabilis res est; hac autem inæstimabili libertate Status Germanici Imperii gaudere res in vulgus nota, *de qua libertate Statuum Imperii, ut & de iis, quæ libertati Principum Statuumque Imperii perperàm accensentur*, duabus Dissertationibus inter alios egit *Illustris L. B. de Lyncker.* Ideò, cum præprimis à scopo meo alienum sit, supervacaneum esse puto, illam multis exemplis probare; unicam speciem, nimirum *Jus suffragandi in Comitiis*, instar omnium allegasse, sufficiet, *in quibus omnes Imperii Status, unà cum Imperatore de summa rerum deliberant, judicant, atque decernunt. Vid. Rumelin. in Dissertat. ad A. B. part. 2. Diss. 3. §. 3.*

Constituunt autem isti status triplicem Senatum, Potentissimorum sc. Electorum; Serenissimorum Principum; ac Liberarum & Imperii Civitatum; quibus omnibus tanquam summum Caput Augustissimus Imperator præest. *vid. Limn. in Jur. Publ. Tom. 3. libr. 9. cap. 1. §. 132.* Triplex hicce Senatus sine contradictione Jure suffragii & Voti Decisivi in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii gaudere debet, ut sunt diserta verba *Art. 8. Instrum. Pac. Westphal.* ast cùm Liberæ & Imperii Civitates exercitium & plenarium effectum sibi non concedi, conquerantur, & insuper protestentur, uti videre est *ex* **Eitel Friderich von Herden Grundfest des H. R. Reichs** *part. 2. cap. 6. à pag. 131. usque ad 165.* convenientissimum mihi esse, existimavi, Theses quasdam loco Dissertationis Inauguralis circa hanc materiam conscribere; quas ab initio in quatuor sectiones dispescere mihi proposui, in 1ma de Origine Libertatis Liberarum & Imperii Civitatum; 2da de Jure earundem suffragandi in Comitiis; 3tia de Re- & Correlatione & quomodo eadem Liberis & Imperii Civitatibus competat; 4ta de quæstione, an Civitates Imperii Jure petere possint ab Electoribus & Principibus Imperii admissionem ad simultaneam Re- & Correlationem, acturus.

Verùm dum ulterius de hac materia ritè pertractanda cogito, copiosiorem sese scribendi materiam præbere, quàm ut terminis Dissertationis includi possit, præterea etiam 3tiæ & 4tæ sectionis pertractationem nimis delicatam imò & odiosam esse reperio. Mutatâ igitur eâ sententiâ; de prima sectione hic tantùm & quidem 1mo *De Origine Civitatum Germaniæ*, 2do *De Origine Libertatis Liberarum & Imperii Civitatum* sollicitus esse, circa reliqua verò corrolaria quædam in fine adjicere volui, uberius cœteroquin de omnibus cogitare horis secundis reservans. Tu modò

Annue magne DEUS, feliciter annue cœptis.

CAPUT. I.

CAPUT. I.

De

Origine Civitatum Germaniæ.

§. 1.

ANtequam ipsam tractationem aggredior, quædam mihi circa voces Vici, Oppidi, Urbis, Civitatis, dicenda essent; sed id jam fusè á Politicis & Limn. *in Jur. Publ. t. 3. l. 7. c. 1.* actum est, &, me ista nomina secundum communem usum loquendi intelligere, nec accuratum Classicorum genus observare velle, declaro. Si quis autem nihilominus, quid per *Civitatem* velim, scire desideret, ei respondeo, *Multitudinem populi iisdem mœnibus inclusam* me indigitare velle. *Knipschild de J. & Privil. Civit. Imperial. l. 1. c. 1. §. 10. & seqq.* non curans *Baldi* sententiam jam dudum explosam, dicentis: *Ad Civitatis* ESSE *requiri, Episcopum habere*; nec tamen negans, sedem Episcopi ordinariam in Civitate esse debere.

§. 2.

Ulteriùs etiam cùm in definitionem, tùm in specie in causam finalem, efficientem, materialem, & formalem Civitatis inquirere deberem; verùm brevitatis causa ad *Conring.* de hisce egregiè differentem *in Disput. de Civitate nova* lectorem remitto, ad alia potiùs, nimirum ipsam tractationem me convertens.

§. 3.

Antiquis temporibus nullas Germaniæ Civitates fuisse exploratum est. *vid. Conring. de Urbibus Germaniæ.* Adhibetur quidem ab aliis distinctio in Germaniam trans-& cis-Rhenanam, diciturque in trans-Rhenana provincia Urbes jam, scil. Wormatiam, Spiram, Moguntiam fuisse, non verò in Germania, ut vocant, magna; hujus autem distinctionis, licet hodienùm magna sit utilitas, tamen si antiqua tempora spectat, quæ meritò spectare debet, nullus est usus; cum tùm temporis nulla fuerit Germania trans-Rhenana; omnis quippe ea provincia Galliæ annumerabatur, Rhenô limite inter Germaniam Galliamve existente; & urbes supra nominatæ post mortem demùm Ludovici Pii, divisione inter filios dicti Imperatoris facta, Germaniæ obvenerunt. *vid. Cuspinianus sub Lothario.* Quod & postea cum Treviri, Colonia Agrippina, Aquisgrano, Argentorato, aliisque Civitatibus, Posteris Lotharii Cæsaris deficientibus contigit. *vid. Lehm. Chron. Spirense Libr. 2. cap. 46. pag. m. 175. & 176.* Nihilominus usque ad tempora Friderici I. tota trans-Rhenana Provincia Galliæ annumerata fuit. *Lehm. libr. 1. cap. 2. p. 3.* Quod etiam testatur *Otto Frisingensis, libr. 1. de gestis Friderici I. cap. 10.* dicens: *Henricus apud Leodium diem obiit, sepulcrisque ibi intestinis ejus, corpus in Galliæ Civitatem Spiram transportatur &c.* Germanicos tamen populos in iisdem oris jam tùm temporis sedem fixam habuisse, non inficior.

§ 4.

Melius forsan procedit distinctio in Germaniam trans- & cis-Danubium, pro Germanica enim terra Bavariam, Sueviam, Austriam, quæ vulgò dicitur superior, nam inferior tùm sub Pannonia adhuc comprehendebatur, regiones sub nomine Norici, Vindeliciæ &c. venientes, cùm præprimis varii Germanici populi easdem sub Valentiniano III. Imperatore de novo inundâssent habitas fuisse, non facilè quis negabit. *vid. Conring. de Finibus Imperii, cap. 4. pag. 32.* Jam verò Augustam Vindelicorum tempore Romanorum & Francorum urbem satis celebratam fuisse, veteris historiæ scriptores testatum reddunt abundè. *vid. Limn. Jur. Publ. tom. 3. libr. 7. cap. 4.* Præter eam & alias Civitates in eo tractu extantes nullò negotiò recensere possem, sed sufficiat allegasse verba *Vellej. Paterculi Histor. libr. 2. cap. 95.* dicentis: *Rhætos Vindelicosque agressi, multis Urbium & castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, Gentes &c. perdomuerunt.* Ex quibus satis superque patet, tempore Augusti Imperatoris urbes in istis regionibus penè multas repertas fuisse, & valebit eò magis testimoninm Paterculi, quod huic bello ipsemet interfuit, ac ideò tanquam testis αυτοψις de veritate præ aliis testari potuit.

§. 5.

Sed missis distinctionibus, in Germania quam magnam vocant, & quæ ab Occidente Rheno, à Meridie Danubio, ab Oriente circiter Vistula fluviis, à Septentrione Mari Baltico, & Oceano Septentrionali terminabatur, uti plenius videre est *apud Pacificum à Lapide in not. & strict. ad Monzambano de Stat. Imp. Germ. integro discursu secundo.* Ante tempora Caroli M. benè ordinatas Civitates fuisse non reperio. Ad similitudinem quidem stativarum Romanarum, unde etiam Germanica vox Stadt orta esse videtur, loca exstruxerunt, ab iisdem etiam & demùm Francis indies melius ædificia struere didicerunt, & ædes contra morem antiquum contiguas habuerunt, ita ut ad formam Civitatum propius accederent, maxima autem ista loca majorem titulum, quàm Villæ Regiæ, germanicè, eines Reichs-Fleckens / non meruerunt. Uti de Francofurto exemplum adducit Lehm. *libr. 2. c. 19. p. m. 76.*

§. 6.

Regnantibus Imperatoribus Carolingis istiusmodi Villarum numerus & amplitudo indies quidem in majus excrevit, præprimis cum Religio Christiana ubique introduceretur, atque Episcopis sedes, quas in vicis & pagis habere prohibebantur, assignarentur; ad resistendum tamen hosti ejusque vim propellendam neutiquàm erant capaces, nec tùm probè munitæ, quod ex Hunnorum totam ferè Germaniam pervagantium ac devastantium irruptione probatur. Urbes tamen trans-Rhenanas, quæ tempore Carolingorum Germaniæ accesserunt,

accesserunt, ut & quasdam trans-Danubium, aut istis fluminibus vicinas, muris bene munitas excipio.

§. 7.

Saxonicis postmodum Imperatoribus Germaniæ sceptrum tenentibus florentissimum Civitatum statum incepisse cum multis id ipsum testantibus tutò asseri potest. Nam cum Henricus cognomento Auceps videret, quam ingens damnum Germania ab hostibus eam devastantibus pateretur, Villas & Pagos quàm maximè ampliavit, munivit & Privilegiis auxit, ut Hunnis ob denegatum tributum irruptionem de novo minitantibus eò melius obviam iri possit, quod & cum maximo Patriæ nostræ commodo processit, hoc exemplum, cum successores dicti Henrici sequerentur, effecerunt, ut sub eorum regimine frequentes demùm in Germania Civitates extitisse verè dici possit. Quomodo tam citò Henricus nonum quemque virum ex agris sumendo multas Civitates exstruxerit & hominibus impleverit. *vid. Rhet. Instit. J. Publ. libr. 1. Tit. 18. §. 2.*

CAPUT II.

De *Origine Libertatis Liberarum & Imperii Civitatum.*

§. 1.

INdagatâ Civitatum Germaniæ Origine, videndum jam erit, quomodo in eum libertatis, in quo nunc sunt, statum pervenerint: & ut, quod verum est, fatear, res hæc quam maximis difficultatibus septa est, ad eamque demonstrandam, vix est, ut idoneis testimoniis uti possim; & hic forsan contigit, quod *Bodinus de Repl. libr. 2. cap. 6.* dicit: *Sæpe usu venire, ut quæ senem fieri solent, vix unquàm percipiantur, nec nisi secuta conversione sentiantur.* Quod non solùm de Libertate Civitatum Imperialium, sed & de Origine Electorum, & Capitulatione Cæsarea dicendum. *vid. Conr. de septemv. J. Electoribus §. 23. & seqq. idem de Capitulatione §. 12. & 13.* quorum initia adeò sunt obscura, ut ea, licèt multi multum temporis in id consumpserint, hactenùs verè investigare nemo potuerit, interim tamen præcipuas quorundam celebrium Doctorum opiniones, quæ quàm maximè ad veritatem accedere videntur, de aliis absurdis non sollicitus, præmittam, meam ad ultimum sententiam circa hanc rem subjungendo.

§. 2.

Inter veterum scriptorum sententias, *Munsteri* citante cum Limnæo multis Doctis viris arrisit. *libr. 3. Cosmograph. cap. 24. p. 456.* ita scribentis: *Cum post Caroli Magni tempora, Germania pedetentim magis excoli & habitari cœpisset, Imperatores creâsse Principes, iisdemque totas in feudum concessisse Provincias, sibi*

tantùm

tantùm & Imperio immediatè reservasse insigniores & ampliores Civitates, quibus postea à subsequentibus privilegia concessa amplissima, quorum efficacia deinceps dictæ Liberæ, non Imperiales, licet sub Imperio remanserint. Hactenus Munsterus de hisce quid sentiendum §pho insequenti, omnia accuratius perpendendo, monstrabo.

§. 3.

Dicitur (1) *Cum post Caroli Magni tempora Germania pedetentim magis excoli & habitari cœpisset &c.* Per quæ tempora meritò proximè post Carolum sequentia intelligenda erunt, uti etiam hæc dictionis forma communiter sumitur, nam si de temporibus ducentos annos post Carolum contingentibus loqui voluisset, aliter quoque animi sensa exprimere debuisset, & sic consequentia aliquatenùs vera fuissent, quæ, uti hic ponuntur, simpliciter falsa sunt. Licet deindè concedendum sit, Germaniam magis excultam, uti *§pho 5. cap. 1.* monstravi, neutiquàm verò melius habitata est; quin potius per cruenta intestina Carolingorum bella, ubi in uno prælio ad Fontanetum plus CM hominum, & cum his potiorem partem nobilitatis *Lehmannus* cecidisse memorat, Germania viris exhausta, & Hunni sæpius irruptionem iterantes in multis Germaniæ Provinciis solitudines per immanem crudelitatem effecerunt. (2) Asseritur: *Imperatores creasse Principes, iisdemque in feudum* sc. hereditarium *totas concessisse Provincias.* Sed quos Principes creaverint non memorat, & sane non potuit, nam sub Imperatoribus Carolingis, imò & initiò Saxonicorum Imperatorum Duces & Comites (Principum non adeò frequens fit mentio) tantùm Officiales erant, nec Provincias ad repellendum hostem, ad Jus dicendum, & annuos reditus accipiendos, eosque ad Aulam Cæsaream transmittendos sibi concreditas ullo hereditario jure tenebant. Henricum enim Saxoniæ Ducem, postea Regem Germaniæ cognomine Aucupem primùm hereditario Jure terras sibi concreditas asseruisse testatur *Beatus Rhenanus libr. 8. rer. Germ.* ob eamque vendicationem cruenta bella cum Conrado I. Imperatore habuit. Hocce positò corruit assertum iisdem à successoribus Caroli M. in feudum, nimirum hereditarium, ut opinatur, concessas fuisse totas Provincias. Causam erroris Munstero dedisse existimo, quod nesciverit, dum Cæsares plurimas Provincias Ducibus & Comitibus ob benè merita tanquàm officium regendas commiserint, quasdam sibi ipsis, nullo Duce vel Comite intermediò, regendas sumserint, aliàs non benè antiquorum Ducum &c, officia, ab hodiernorum juribus distinguens. Ita lapsum fuisse magis elucescit, dum (3) statuit, *sibi tantùm & Imperio immediate reservasse insigniores & ampliores Civitates, quibus postea à subsequentibus Privilegia concessa amplissima.* Non reservarunt, sed Dominio eminenti tenuerunt insigniores Civitates, sed has non in Provinciis Ducibus concreditis,

concreditis, ubi tum temporis perquàm exiguæ fuerunt, ſed in Provinciis plerumque Rhenô-vicinis, quas, multis ampl oribus Civitatibus refertas, ſibimet ipſis regendas ſumſerunt, & ut dicit Munſterus: *Privilegiis donarunt, quorum efficacia* (4) *dictæliberæ, &c.* Sed non eô ſenſu, quo hodiè dicuntur, nam Imperatoribus addictius aliquatenùs quàm hodiè junctæ uſque ad Henricum IV. fuerunt. Cæterum Munſterus ſibi in re admodum dubia non ſatis conſcius, aliam fovere videtur citatus à Lehm. *libr. 4. cap. 1.* ſententiam, eamque jam propoſitâ veriorem, non tamen ubiquè veram.

§. 4.

Jam quid *Beſoldo*, Celebri Tubingenſium JCto, circa Originem Libertatis Civitatum Imperii videatur, *ex Diſc. Polit. Diſc. 4. qui agit de Statu Reipl. ſubalterno cap. 5. §. 2.* perſpiciendum nobis datur, ubi ſequentia ponit: *Verùm originatio immunitatis, libertatisque Imperialium Civitatum, una certè illis temporibus incepiſſe, iisdemqut occaſionibus adſcribenda eſſe videtur; quibus Ducatus, Marchionatus, ſimilesque dignitates ſucceſſoriæ factæ ſunt; & ita territorio Jurisdictio adnecti, Imperii autocratici* (der Lands-Fürſtlichen Obrigkeit) *fundamenta poni cœperunt.* Hæc ſententia, quamvis quoad quasdam Rheno Vicinas Civitates in ſpecie utilitèr poſſit applicari, reſpectu tamen cæterarum generaliter falſa eſt. Imò contrariam aliquatenus opinionem fovet *Illuſtris Dn. Rhet. Inſt. Jur. Publ. libr. 1. tit. 18. §. 8.* ita ſtatuens: *Non ſimul omnes*, (ſc. Civitates) *ſed antiquæ ſaltem pedetentim & per gradus ſtatuum numero adſcriptæ, imò longè poſt quam reliqui Status Imperii jam ſuperioritatis Jura, & quæ alias ſunt Statuum, exercuiſſent.* Primam Rhetii propoſitionem tanquam veram lubens amplector, aſt ſecundam reſpectu Civitatum Rhenanarum falſam eſſe §. 8. & 9. hujus cap. monſtratur, & ipſe *Rhetius* alibi *in tr. de Statuis Rolandinis c. 4. §. 20.* ſtatuit: *Uſque ad Henrici IV. Imperatoris ævum, ſi non omnes, plerasque Civitates non alio modo ab Imperatoribus, quàm nunc Provinciales à Principibus fuiſſe adminiſtratas.* Sed primò dicit notanter *plerasque &c.* & ſecundò eodem modo, cum falſum ſit, uti §. 6. & 7. inſeqq. indigitatur, Principes Ditiones, poſt obitum regnatricis familiæ Carolingorum in Germania, Imperotoribus à ſe electis in feudum obtuliſſe; eosdem ante Henrici IV. tempora ſi non omnes, plerosque ab Imperatoribus tantùm pro Officialibus agnitos fuiſſe, nec hereditario Jure Provincias tenuiſſe, teſtante hiſtoria regeri poteſt. Eandem cum Rhetio ferè ſententiam *Vitriarius*, nec ſibi ipſi ſatis conſtans *in Inſt. Jur. Publ. l. 1. tit. 18. §. 5.* tuetur. Sed brevitatis cauſa hiſce ſententiis ulteriùs examinandis, non immorabor.

§. 5.

Peculiarem circa Originem Libertatis Civitatum opinionem, eamque ad

 enodanda

enodanda variè in antiqua & media historia occurrentia dubia admodum proficuam fovet Excell. Dn. *Ludevvig*, Academiæ Regiæ Fridericianæ Antecessor, summa autem ejus dictorum, quæ **in der vollständigen Erläuterung der Güldenen Bull.** *in Disput. de Paradoxis Jur. Publ. & præprimis in Diss. de Civitatum Imperii dispari nexu cum S. R. Imperio* proponit, eò redit, *ut post mortem Imperatorum Carolingorum septem Germaniæ populos, quos sequentes, nimirum Suevos, Francos, Bojos, Saxones, Thuringos, Vandalos, Bohemos fuisse asserit, sui juris redditos fuisse, ostendat; hisce autem singulis placuisse sigillatim, Archi-Principem eligendo, sub unius potestatem coire, qui Archi-Principes tanquam supremi Domini universam Germaniam ita Imperio tenuerunt, ut in hoc spatii nihil superesset, quod non in aliquo illorum comprehenderetur; Verùm*, uti ulterius asserit Ludewig, *cum vim unitam fortionem esse isti Principes animadverterent, omnes in eligendum Regem consenserunt, & electò Conrado I. territoria quæ non nisi à Deo & populo habebant, ac universam Germaniam, nullo Comite immediato, nulla immediata Civitate existente (quibus ea melior fortuna demum extinctis vel alio modo deficientibus antiquis Ducum familiis contigit) comprehendebant, in feudum obtulerunt; tructû tuntùm Rhenanô, Imperatoris Domaniô, & nulli Principum obnoxiô, exceptô.*

§. 6.

Circa ea, quæ habet Dn. Ludewig de Feudis Imperii Oblatis, jam à longo abhinc tempore inter Eruditos controversia est, à parte Dn. Ludewig est personatus ille *Monzambano*, aliique magni nominis JCti, quin & *Dn. Thomasius in Diss. de feudis oblatis. §. 25. Status Jus superioritatis territorialis una cum territorio non ex concessione, sed Jure proprio possidere contendit.* Quam tamen sententiam *in Notis ad Monzambano pag. 274.* ideò mutavit, *quia*, sunt verba Thomasii, *probatio ex historicis deduci non potest, sed potius veritas contrariæ sententiæ ex iis evidens redditur.* Feuda verò Imperii data esse *Hertius, Itterus, Excell. Dominus Gundling* cum plurimis aliis demonstrant, & nuperrime argumenta, quibus Dn. Ludewig ad demonstrandum feuda Imperii pro oblatis habenda esse utitur, examinare & refutare conatus est *Dn. Textor in Dissert. Inaugurali de feudis Imperii Propriis non oblatis annumerandis à §. 16. usque ad 25. inclusivè.* De hisce autem remissivè egisse, cum ad propositum meum non directò pertineant, sufficiat.

§. 7.

Reliqua quæ Dn. Ludewig de Civitatibus habet, dùm Rheno vicinas à Ducum potestate liberas & Cæsari immediatè subjectas, alias verò non nisi extinctis antiquorum Ducum familiis immedietate donatas fuisse asserit, mihi non admodum displicerent; si modò basis & fundamentum, quod de septem Archi-

Archi-Principibus habet, firmum esset, & non potius coævorum historicorum scripta illud diruerent. Tantùm enim abest, ut Dn. Ludewig sententiæ sint conformia, ut potius ubique eidem contrarientur; nam quis antiquorum scriptorum tempore Ottonum Thuringiam Magnum Ducatum vel Archi-Principatum à proprio Duce rectum fuisse nos docet? annon potius constat, eam Provinciam Ducibus Saxoniæ, ut Ducatus accessorium paruisse? *vid. Spangenb. cap. 27.* à quibus, nimirum ab Ottone III. Echardo in feudum data. *Limn. libr. 5. c. 15. §. 1.* Et quomodo exinde dici potest, singulos sigillatim Archi-Principem elegisse? Vandalos etiam Archi-Principem elegisse, eumque cum aliis Regem Germaniæ postmodum creasse, ac ditionem suam in feudum eidem obtulisse, statuit; cum tamen ex historia istius Oræ Dominos Paganismo addictos acerrimos Germanici Regni hostes regnantibus Imperatoribus Carolingis & Saxonicis fuisse, multaque cruenta bella cum Imperii Principibus gessisse abundè constet. Sane multò majori Jure Giselbertum, Lotharingiæ Ducem præpotentem, Imperio Germanorum addictum cum ipsius Posteris inter Archi-Principes ad numerum septenarium supplendum numerare potuisset. Reliquos quinque, quos nominat, Duces magnam in Germania authoritatem habuisse notum est, ast ditiones quas rexerunt, eosdem in feudum Imperatoribus obtulisse, peritissimos Germanici Status Viros negare, aliquatenus §pho antecedente monstravi, multò minus territoria adeò clausa & contigua eos habuisse, ut non alii per totam Germaniam Imperii Status, quam hi septem Archi-Principes (quos tamen non fuisse jam dictum) fuerint, reclamante historia dici potest. Cum ergò ea, ex quibus consequentia Dn. Ludewig format, falsa sint, mihi, quo minus ejus sententiæ accedam, nemo vitiò vertet.

§. 8.

Mihi quid circa Originem Libertatis videatur, ut exponam adhuc restat. *Wurstisius Chron. Basileens. libr. 2. cap. 11. pag. 96.* hæcce habet: *Post tempora Ottonis III. quædam Civitates nulli Principum subjectæ, sed solum Imperatorem Dominum agnoscentes, libertate donatæ sunt.* Hæc verba, si de Civitatibus Rhenanis, uti authoris mentem fuisse ex variis conjecturare licet, intelliguntur, mea facere non ambigo, citius enim Urbes Rheno vicinas cum paucis aliis non nisi Imperatorem Dominum agnoscentes, libertatem adeptas esse, quàm reliquas, dubio caret. Cum enim Imperatores in istas regiones Comites atque Præfectos ad jurisdictionem exercendam, annuos reditus colligendos &c. primò constituerent; Postea Episcopis ob integritatem Vitæ in magno pretio habitis, nec terras hactenus possidentibus, ea officia in primariis Civitatibus Rhenanis, non verò omnibus, unà cum spirtualibus gerenda commiserunt; Sed & horum administratio cum multis de causis Imperatoribus non amplius placeret,

ceret, *vid. Vitriarius libr. 1. tit. 18. §. 8.* Civitates autem eximiam fidelitatem Imperatoribus testarentur, ita ut tàm bonis quàm corpore in omnibus necessitatibus iisdem auxiliarentur; ad remunerandam earum fidelitatem plenaria Libertate quasdam donarunt, aliis libertate, quá antiquitùs jam gavisæ fuerunt, restauratâ vel confirmatâ. Officia quoque, quæ Duces, Comites & Episcopi nomine Imperatorum hactenus exercuerunt, Senatui cujusque Civitatis gerenda commiserunt. Ad majorem dictis fidem conciliandam, Wormatia, quomodo libertatem & immedietatem adepta fuerit, paucis monstrabo.

§. 9.

De Civitate Wormatia, utrùm à Noachi Abnepote condita sit, ut quidam volunt, jam non disquiro, sed potiùs, cum parùm ad instituti mei rationem conducat, in dubio relinquo. Sufficiat magnæ authoritatis tempore Romanorum & Francorum eam, sub nomine Augustæ vel etiam Speculæ Vangionum venientem, fuisse. Et licet ab isto Mundi flagello Hunnorum Tyranno Attila funditùs eversa fuisset, non diu tamen in calamitoso istiusmodi statu permansit, sed auxiliante Clodovæo Francorum Rege ob amœnitatem situs & eximiam frugalitatem mox restaurata, Palatiis exornata, Comitiis celebrata, & magna libertate gavisa est. De omnibus hisce testantur *Reusnerus*, *Limnæus*, *Knipschild & alii. Bruschius* sub Regimine Francorum Metropolim Circuli Rhenani superioris fuisse asserit. Carolus M. etiam primam Coronam sibi Wormatiæ Anno 768. imponi voluit, test. *Lehm. lib. 3. cap. 28.* titulô insuper Immediatæ Regni Civitatis nota. Quamvis etiam sub Regimine Imperatorum Carolingorum & Saxonicorum aliquam fortunæ Catastrophen senserit, & Duces ab Imperatoribus constitutos agnoscere coacta fuerit; quorum præsentia Libertas, quam jam ob aliquot retrò seculis habebat, obumbrata, non tamen sublata fuit; eò minus, quod curam rei militaris, cum administratione Reservatorum Imperatoris, præcipue administrandam habebant, reliquis arbitrio Senatus Civitatensis relictis; sub finem demùm Regiminis Saxonicorum Imperatorum à Ducibus liberata, & in pristinam Libertatem beneficio Henrici II. restituta est. Positis hisce fidem non mediocrem conciliat testimonium *Ditmari*, qui accuratissimus rerum ab Imperatoribus Saxonicis gestarum scriptor habetur, & omnibus ferè negotiis ipsemet interfuit, *libr. 5*, ita scribens:

Urbs Wormacensis gaudet temporibus istis
Libertate sua, cujus manebat in umbra
Hactenus, atque Ducum fuerat sub lege suorum.

Ab hoc tempore non solum Libertatem in hunc usque Diem, nulli Principum subjecta, verùm etiam jura αὐτοκρατίας & jus Status cum aliis Germaniæ Proceribus obtinuit, obque eximiam ac per omnia secula constantem fidelitatem

tem insignem laudem promeruit. Cum enim non longè post restauratam ab Imperatoribus Libertatem Johannes Episcopus, ne Henricum IV. ab omnibus destitutum Imperatorem in Urbem reciperent, Cives hortaretur, isti, spretô consilio, & expulsô Episcopi Milite, Cæsari, quò intemeratam fidem, quam ipsi debebant, servarent, obviam euntes, eum in Civitatem receperunt, in qua etiam tutum habuit perfugium. Verba *Lamberti Schaffnaburgensis* hic apponi merentur, quæ ita sonant: *Rex ab infirmitate vix dum plenè recreatus Wormatiam festinavit, ubi cum magna Pompa à Civibus in urbem susceptus est; qui & paulò ante, ut suæ erga eum studia clariora facerent, milites Episcopi ejus ingressum prohibere tentantes urbe expulerant; & ipsum Episcopum, nisi maturè fuga elapsus Civitate excessisset, comprehendissent, & vinctum ei misissent. Venienti ergò & armati instructique obviam procedunt, non ad vim faciendam, sed ut conspectâ eorum multitudine, armorum apparatu, expeditorum juvenum frequentia, animadverteret in arduis rebus suis, quantùm spei in eis ponere debuisset, operam suam benignè spondent, jurisjurandum dant, sumptus ad bellum administrandum ex sua re familiari, singuli pro virili portione offerunt, & quoad vivant pro honore ejus devotè militaturos confirmant. Ita Rex Civitate munitissima potitus, hanc deinceps belli sedem, hanc ut cunque res cecidissent, tutissimum asylum habere cœpit, eo quod esset & Civibus frequens, & murorum firmitate inexpugnabilis, & ubertate circumjacentium regionum opulentissima, & omnibus, quæ in bello usui esse solent, copiis instructissima.* Hactenus Lambertus. Ipsemet Imperator *Henricus* fidelitatem Wormatiensium deprædicaturus in privilegio super exemtione à telonio ipsis concesso his utitur verbis: *Wormatiensis Civitatis habitatores non minima, sed maxima & speciali remuneratione dignos, quando omnibus cuiuslibet Urbis Civibus dignores judicavimus &c.* Ideoque testante *Alberto Stadensi, Helmoldo Chron. Slav. libr. 1. c. 28. Lehm. libr. 4. cap. 3. p. 280.* Wormatia, Spira, Basilea aliæque urbes Rhenanæ Regiminis sub Henrico IV. ut alii Imperii Proceres, participes factæ, & à Præfectis, si quos adhuc habebant liberatæ, omnibus reditibus & juribus, quæ dicti Præfecti nomine Imperatorum habuerunt, donatæ sunt. Omnimodo etiam liberam ab omni præstatione tàm pecuniæ quàm servitiorum antiquitus Wormatiam fuisse, & ea quæ Imperatoribus præstiterunt ex Libera voluntate præstitisse testatur Carolus IV. verbis: **Wir Carl ꝛc. bekennen ꝛc. um solche Dienst und Hülffe als die Ehrsame Weise Leute / die Räthe der Städte / und die Burgere gemeiniglichen ꝛc. zu Wormbs ꝛc. zu dieser Zeit uns thun / wider unsere und des Reichs Feinde und Widersacher / daß sie das thun uns durch sondere Lieb und Freundschafft / die sie zu uns und dem Reich haben / und nicht durch Recht / und erkennen uns auch an**

diesem Brieff/ daß sie uns und unseren Nachkommen solches Diensts hernacher unverbunden seyn und seyn sollen/ dann NB. diese Städte also gefreyet seyn/ daß sie der Dienste frey seyn/ und nicht schuldig seynd/ sie wolten es dann gern thun/ als sie es auch zu dieser Zeit muth williglichen gerne/ und von nicht Recht gethan haben. ꝛc. Et ideò cum paucis aliis, à reliquis Imperialibus semper fuit distincta, quod hæ simpliciter Imperiales, Wormatia verò & Libera in specie nominata fuerit, & etiamnùm nominentur, uti de conventu Anno 1385. Constantiæ institutio testatur *Lehm. libr. 7. cap. 67.* Similiter de conventu Eslingæ habito tale quid testatur *Dattius.* Et hæc exempli causa de Civitate mea Patria, quam antiquissimam Liberam Imperii Civitatem esse existimo, adduxisse sufficiant; uti verò cuiquam hisce præjudicare in meis non est viribus, ita etiàm bona mente, non alia intentione, quàm ut sententia paragraphi octavi meliùs elucescat, me hæc scripsisse, imò erroris convictus, meliora docentibus me secuturum declaro. Aliud huic aliquatenùs simile exemplum de Civitatis Argentoratensis Libertate proponit *Dn. Heuss. in Diss. Inaug. de Civit. Imperii dispari nexu cum S. R. Imperio. sub Præsidio laudati Dn. Ludewig habita*, ad quam cupidum Lectorem brevitatis causa remitto.

§. 10.

Quod modò de Augusta Vangionum adduxi exemplum, illud etiam modo non dissimili de aliis Rhenanis Primariis jam Liberis Imperii Civitatibus & quibusdam hinc indè in Imperio sitis, exhiberi posset, uti e. g. de Goslaria *Dan. Heiderus in Apolog.* vom Reichsv. *c. 2. fol. 151.* tradit, daß solche *Henricus I.* gebauet/ *II.* gebessert/ *III.* mit Käyserlichem *Palatio* gezieret/ und *Henricus IV.* als eine Reichs-Stadt bewohnt habe. Norimbergam *Gerhardus Mercator in Atlante majori pag. 254.* sub Ludovico III. Carolingo Imperatore extinctis in Alberto Franconiæ Ducibus, Libertatem consecutam existimat, sed falsum hoc esse nos docet *Limnæus & Knipschild sub cap. Civitatis Norimbergæ.* Verior sententia eò redit, ut à Conradi II. Regimine Imperio adjuncta esse dicatur.

§. 11.

Plurimas autem per Germaniam sitas hodiernas Imperii Civitates non uno tempore nec eodem modo, sed prorsus diversò sensim atque sensim immedietatem & Jura statuum adeptas esse *Knipsch. libr. 1. c. 5. §. 8.* rectè statuit. Aliæ enim ex gratia Imperatorum vel uno, ut ita dicam, actu; vel gradatim per varia à Variis Imperatoribus concessa privilegia Libertatem, qua hisce temporibus gaudent, sibi asseruerunt. Aliæ à suis Principibus Imperio sunt donatæ; uti de Gengenbach, Zella, & Offenburgo, quod illæ ab Episcopo Argentinensi Wilhelmo, Ruperto Imperatori fuerint concessæ, Hertzog *Chron. Alsat. libr.*

4. pag.

4. pag. 107. tradit. Aliæ titulô onerosô, interveniente pecunia numerata, Libertatem sibi acquisiverunt; Ita Ulma, Cœnobio Divitis Augiæ antiquis temporibus subdita, cum magna sumsisset incrementa, pretiô interveniente à subjectione dicti Cœnobii se exemit, & cum Monachi jura sua iterum consequi niterentur, tandem per sententiam à Friderico III. latam, cum conditione, ut viginti quatuor florenorum millia denuò, semel pro semper Cœnobio solverent, ab obsequio soluti sunt. Isnenses similiter solutione octo millium librarum sese ab Hereditariis Dapiferis de Waldburg liberaverunt, & Imperio addixerunt. *Gastel. de stat. Publ. Europ. noviss. cap. 32. §. 115. pag. 1240.* Aliæ denique præscriptione vel alio quovis modo jura, quæ habent immunitatis & sessionis in Comitiis sibi asseruerunt.

§. 12.

Ruptis etiam aut in partes scissis antiquis Ducatibus, & extinctis antiquorum Ducum familiis, numerum Imperii Civitatum mirificè adauctum fuisse constat. Ita cum primò Henricus Superbus, posteaque ejus Filius Henricus Leo ab Imperatore Conrado III. & Friderico I. Barbarossa proscriberentur, Ducatus Saxoniæ & Bavariæ ad hoc usque tempus inconvulsi, connivente vel jubente Imperatore à variis dilacerati sunt, ut quisquis vicinus partem sibi proximam & conterminam ad se traheret; hac ratione Ratisbona, antehac Ducum Bavariæ sedes, cum Otto Wittelspachius hunc Ducatum à Friderico in feudum acciperet, à Ducatu exemta, & Imperio adjudicata est. *Aventinus libr. 6. annal. Bojor. cap. 6. §. 18. pag. 617. & cap. 7. §. 6. pag. 621.* Lubeca etiam per hunc casum Anno 1182. Libertatem nacta est.

§. 13.

Conradinô, ultimô antiquorum Sueviæ Ducum fatali morte, tempore magni istius Interregni, sine heredibus vitam Neapoli finiente, licet iste Ducatus post Interregnum à Rudolpho I. Habspurgico filio cognomini in feudum de nova fuerit concessus, tamen, cum propter horrendum facinus, quod hujus filius Johannes, interficiendo Albertum I. Imperatorem ejus Patruum, commisit, Ducatum ad posteros non transtulisset, ansam dedit, ut non plures in toto Imperio, quàm in sola Suevia Imperiales Civitates numerentur, omnes enim ferè quotquot sunt, ad altiora tempora, quàm mortis Conradini, originem Libertatis ducere nequeunt. Ipsa Augusta Vindelicorum primaria & antiquissima Sueviæ Civitas, à dicto Conradino se suaque in Libertatem non parvo asseruit argento, ab Imperatoribus denique multa egregia Privilegia adepta; & Nerolingam tempore istius Conradini & insecuti Interregni Libertatem adeptam esse legitur.

§. 14.

§. 14.

Simili casu Civitatibus Ducatus Franconiæ Libertatem, qua jam pollent, firmatam esse, imò & Civitatibus in Thuringia & alibi in Imperio sitis, non sine ratione asserit *Dn. Heuss. in allegata Diss. d. Civit. Imp. Disp. nexu cum S. R. Imperio.* Ita Rotenburgum ad Tuberim Franconiæ Ducibus paruit, & his deficientibus in clientelam S. R. Imperii auctore Friderico I. Augusto se contulit. *Reusn. de Urbib. Imperial, part. 2. cap. 8.*

§. 15.

In genere tenendum, Liberas & Imperii Civitates plurimas Originem Libertatis & immunitatis Imperatoribus Henrico IV., Friderico I., & Friderico II. acceptam ferre, ista enim triga optimorum Imperatorum, Germaniæ Majestatem contra quosvis in Italia & Germania masculè defendentium, probè animadvertens, quantùm spei in Civitatibus istiusmodi necessitate urgente ponere posset; quantùm detrimenti è contrà increscens majestatis æmula Principum potestas & ipsis attulisset, & adhuc inde metuendum sit; omnibus modis allaboravit, ut quavis data occasione insigniores Civitates Imperio addiceret, ac consequenter Principum potestatem debilitaret. Quæ intentio & propositum adeó felicitèr successit, ut optimas semper Civitates in potestate sua habuissent.

§. 16.

Istæ autem Civitates non ita confestim ac immedietatem consecutæ, etiam omnia Statuum Jura & immunitatem à præstatione pecuniæ ac servitiorum, uti de Wormatia dictum est, nactæ sunt, sed Imperatores aliqua quidem jura ipsis concesserunt, potiora veró regalia, nimirum Collectas Imperii; Jura Criminalia; Judæorum tributa; telonia præcipuè in fluminibus; jus monetæ cudendæ; & alia Jura ac reditus vel in totum, vel pro parte sibi reservarunt. *vid. Lehm. Chron. Spirense libr. 4. c. 19. fol. 334. Knipschild. l. 5. integro cap. 3.*

§. 17.

Regalia ista & Jura reservata Imperatores per Præfectos seu Prætores, germ. **Reichs-Vögte / Reichs-Schultheisse** administrari curârunt, qui quidem aliquando Principes seculares & Ecclesiastici fuerunt, ut plurimum tamen, quod Principes Civitatibus invisæ fuerint, ex Comitibus, Baronibus, imó & Nobilibus ac aliis honestioribns personis ad hoc officium administrandum à Cæsaribus adhibiti fuerunt; quibusdam insuper Civitatibus sibi ipsis istos Præfectos constituere permissum fuit; uti de Suevofurto testatur *Knipschild libr. 3. cap. 49. §. 14. & 15.* Et ipsi Præfecti ad Jura, Statuta, Leges, Privilegia & alios mores servandos, imò ad id se juramento adstringere, obligati fuerunt, uti declarat *Crusius annal. Suevic. part. 3. libr. 6. cap. 44. & libr. 3. cap. 2.*

§. 18.

§. 18.

Verùm cum isti reditus à Præfectis Imperatoribus transmitti soliti lapsu temporis, cum aliis juribus valdè imminuerentur, Civitates etiam in omnibus datis occasionibus benè de Imperatoribus mereri, & fidem prorsus singularem testari niterentur, isti ad remunerandam earum fidelitatem Præfecturas multas sustulerunt, & ipsis Civitatibus vel gratis vel interveniente aliqua pecuniæ summa concesserunt, quasdam verò tantùm oppignorarunt, & quidem vel Principibus vel Civitatibus; Sed & has, pignore solutô, per redemptionem jure proprietario acceperunt. Et quamvis hodie adhuc tales Præfecturæ, ut Wetzlariæ, ubi Landgravius Hasso-Darmstatinus einen Vogt constituit; Mülhusæ, ubi Duces Saxonici Præfecturam gerunt; Nordhusiæ, in qua Comites Hohensteinienses Præfecturam gesserunt, & in aliis Civitatibus reperiantur; tamen testante *Vitriar. Inst. Jur. Publ. libr. 1. tit. 18. §. 13.* simulacra & præfecturæ veteris umbræ sunt.

§. 19.

Juxta ea, quæ huc usque posui, Corolo IV. regnante omnes quotquot hodie sunt Imperiales Civitates, si paucas excipias, à Præfectis liberatæ sunt; vel uti *Dan. Heid.* vom Reichs-Vogt paulò aliter existimat, verbis: Und haben auch die Reichs-Städte circa Annum Christi 1400. durch Verdienst gegen dem H. Römischen Reich durch Liberalität und Connivenz der Kayser, durch Tausch, Kauff, Schenckungen, durch stillschweigende langwierige Alluvion sich von den Reichs-Vogteyen und dero Beschwernüssen in ihrem Territorio auch endlich erworben. Ac consequenter plenarium Jus Status cum omnimoda Superioritate Territoriali, germanicè der Landes-Hoheit und Herrlichkeit, de qua integra Volumina & varii tractatus, ex quibus novissimi & præstantiores ab Illustr. Dn. Lynckero & Fromanno conscripti sunt, prostant, consecutæ sunt. Knichen quidem, inter alios veteres Juris Publici Doctores, illud Jus territoriale in suis scriptis passim Civitatibus dubium reddere ac denegare voluit, *sed à Limn. in Jur. Publ. tom. 3. l. 7. c. 1. §. 20.* allegante insuper quam multos Celeberrimos, pro sua sententia stabilienda, Juris-Consultos, prolixè ejus sententia refutata est. v. specialiter *de Superioritate Territoriali Civitatum Imperii Dissertationem sub Præsidio Magnifici Dn. Wildvogelii* habitam, & *XXX. Theses ex Jure vario Præside Illustri Dn. Thomasio* ventilatas, ubi *th. 6.* dicitur: *Non obstant aliorum quondam somnia, eam superioritatem iis Civitatibus stramineis ex argumentis denegantium.* Jus status, in quantum Jure Voti Decisivi & Re- ac Correlationis in Comitiis constat, eisdem ante confectum Instrumentum Pacis Westphalicæ à multis magni nominis Viris, imò & a Cancellario Moguntini Electoris in ipsis Comitiis, Votum tantùm Consultati-

vum eis tribuentibus, in ſcriptis denegatum eſt. Sed eos, qui Liberas & Imperii Civitates Status Imperii eſſe, & Votum Deciſivum in Comitiis habere dubitant, cœcutire & de Sole dubitare. *Wehner. in Obſerv. pract. verbo* Freye Reichs-Städte. ſtatuit. poſt Inſtrumentum Pac. Weſtph. conditum ibique inſertum art. 8. neminem ſcio, qui Jus Territoriale Civitatum Imperii vel Jus Status plenarium in Controverſiam vocare anniſus ſit.

§. 20.

Reſtat, ut quid differentiæ ab antiquo inter Civitates Liberas & Imperiales tantùm interceſſerit, & an aliquod reale ſit diſcrimen, exponam. Et quidem *Knipſchild*, *Limnaus*, *Reinking*, *Burgoldenſis*, *Author* der Grund-Veſte des H. Röm. Reichs, *Kulpiſius*, *Schuzius*, magna adhuc cohorte aliorum doctorum Virorum, quorum nomina recenſere nimis longum foret, ſtipati, reale diſcrimen intercedere negant. Sed non obſtante magna, quam allegati Doctores apud Eruditos habent, authoritate, *Dn. Heuſſ. in cit. Diſſ.* triplicem inter eas ſtatuit differentiam. (1) *Civitates liberas dicendas, quæ immunes fuerint, & adhuc ſint à ſolvendo annuo cenſu*, (ubi addo: & aliis extraordinariis præſtationibus tàm ſervitiorum quàm pecuniæ) *quem Imperiales ad augendum Cæſaris Ærarium, vel ab antiquo contulerint, vel adhuc conferant.* Tale atteſtatum §pho 9. antecedenti adduxi. (2) *Merum mixtumque habeant Imperium, quò cætera Civitates Imperiales ab initio fuerint deſtitutæ*, (Præfectis merum mixtumque Imperium, vel in totum vel pro parte nomine Imperatorum exercentibus) *poſtea licet variis titulis* (quos §phis antecedentibus notavi) *illud acquiſiverint.* (3) *Ab antiquo Jure Territoriali ſint gaviſæ, cujus unam alteramque partem* (uti itidem jam dictum eſt) *Cæſares deinde pedetentim, per Privilegia, aliis Imperialibus conceſſerint.* Hæc ſunt, quæ *cap. 6. à §. 5. usque ad §. 9. incluſivè pag. 32. 33. & 34.* habet. Et ea, ad probandum Civitatem aliquam vel Liberam, vel Imperialem tantùm eſſe, ſufficere exiſtimo. Si verò inſimul (4) etiam ſemper â Ducum Poteſtate Liberam, & nulli quàm Regi & Imperatori immediatè fuiſſe Civitatem obnoxiam probari poſſit, uti de Wormatia probavi, tantò melius fundata erit opinio. Ceu *Lehmannus l. c. libr. 4. cap. 4. pag. 285.* cum aliis exiſtimat. Argumenta, quibus adverſarii non dari diſcrimen reale inter dictas Civitates contendunt, enumerata ac refutata videri poſſunt *apud Dominum Heuſſ. loc. cit. à pag. jam allegata uſque ad pag. 40.* Vel, ſi mavis, adiri poteſt *Pfeffingeri Vitriarius Illuſtratus libr. 1. tit. 18. §. 1. lit. f. pag. 779.*

§. 21.

De Mixtis, an dentur adhuc Civitates, quæſtio eſt, & nænias Jurisconſultorum eſſe, dum ita ſtatuunt, rectè exiſtimat jam ſæpe laudatus *Dominus Heuſſ.*

Heuſſ. in dicta Diſſ. cap. 8. Inveniuntur tamen quædam, uti Hamburgum & Brema, de quibus an ad immediatas vel mediatas referendæ ſint, dubium eſſe aliqui volunt, multis in ordine mixtarum Civitatum eas referentibus; Holſatiæ enim & Bremæ Ducibus Homagia præſtant, ab hisque multa illarum Privilegia in dubium vocantur, è contrariò ab Imperatore pro immediatè Imperio ſubjectis habentur, & ideò earum Libertas meritò præſumenda eſt. Rectè igitur *Schvveder in Introd. in Jus Publ. J. R. German. noviſſ. partis ſpecialis ſect. 2. cap. 9. §. 14.* rejecta diſtinctione in Civitates Imperiales & mixtas, Imperiales eſſe diſtinguendas in Imperiales vel ſine contradictione, vel non ſine aliorum contradictione tales, exiſtimat. Ad quem ultimum cenſum Bremam & Hamburgum meritò pertinere liquet. videri tamen præter *Limnæum Vitriarius illuſtratus* meretur, ubi *libr. 1. tit. 18. §. 2. lit. D. & E.* multa ad hanc litem de Hamburgo & Brema pertinentia non ſine cura congeſta reperies. De Hamburgo ſpecialiter etiam videri poteſt Chriſtian Jacob Breitenfelß *in contin. Sleidani ad Annum 1679. ſub menſe Octobri & Novembri.* De Brema verò *Junckeri Contin.* der Schau-Bühne der Welt *pag. 242. 357. 358. 464. 519. & ſeqq.* Franckenbergs Europäiſcher Herold *part. 4. tit. 5. §. 8. p. m. 746.*

§. 22.

Jam ad ultimum de fœdere Civitatum Hanſeaticarum, quod paulò ante tempora magni Interregni inceepit, item de fœdere Civitatum Rhenanarum ipſo Interregni tempore condito, & an, ac in quantum Civitates in iſtis fœderibus comprehenſæ Liberæ & Imperiales nominandæ ſint, ſimiliter de Statuis Rolandinis, & utrum in locis, ubi ſunt poſitæ, earum libertatem arguerent, quædam adhuc proponi poſſent. Sed cum ad finem properem, *Lehmannum*, de fœdere Civitatum Rhenanarum agentem, evolvendum aliis relinquo; de fœdere Civitatum Hanſeaticarum accuratam notitiam qui habere deſiderant, *Werdenhagii Tractatum & Hagemeieri Commentarium*, *de hujus fœderis origine, incrementis, decrementis, &c.* prolixè agentes, adire poſſunt; de *Statuis Rolandinis* extat jam allegatus tractatus *Illuſtris Dn. Rhetii*, ad quem brevitatis cauſa lectorem remitto.

§. 23.

Nihil ergò ſupereſt, quàm ut Deo ter optimo maximo pro clementer hactenus præſtita inſigni gratia; & conceſſis viribus, ad ſtudia mea hucusque perducenda, devotiſſimas perſolvam grates, humillimè rogitans, ut me meaque ſtudia impoſterum ſibiita commendata habere velit, quò præprimis in ſui nominis gloriam & proximi utilitatem vergant; interim pro ad finem perducto hoc labore:

Sit Soli Summo gloria ſumma DEO.

COROLLARIA.

JUs suffragandi in Comitiis Liberæ quædam Civitates præprimis Rhenanæ jam à tempore Henrici IV. cum effectu habuerunt.

Similiter ad Re- & Correlationem cum Electoribus & Principibus à multis retrò Seculis in Comitiis admissæ sunt.

Feuda regalia individua sunt, nec divisionem regulariter admittunt, per expressum Juris Feudalis textum & alias rationes.

Minor ob impetratam à superiore veniam ætatis, fratrum suorum impuberum tutelam, ita ut administrationem bonorum fraternorum in se suscipiat, non consequi potest.

XX.

DISSERTATIO DE DISCIPLINA NOTITIÆ SACRI ROMANI IMPERII,

PRÆSIDE

JOANNE ULRICO PREGIZERO, D. Consiliario Wirtembergico, Dicasterii Aulici Assessore, & Juris Publici, Politic. ac Historiarum Professore Ordin.

defensa à

LEOPOLDO MELCHIORE a ROTBERG.

TUBINGÆ, 1691.

Q. D. B. V.

DISCIPLINA NOTITIÆ S. ROM. IMPERII.

Thes. I.

Datur Disciplina Notitiæ S. Rom. Imperii.

Illius difficultas.

NOtitiam Reipublicæ in genere, & nostri etiam Imperii, Disciplina quadam comprehendi, & per modum Artis alicujus tractari posse, licet difficilis admodum, & latissimè diffusa sit, & circa res contingentes ac arbitrarias versetur, dubitandum non est. Neque enim hanc respuit conditio & genius Civitatis universim: neque illius, cujus Cives in Germania sumus. Quemadmodum